Diſticha moralia, titulo Catonis inſcripta.





LVTETIAE,
Ex officina Roberti Stephani,
M. D. LVIII.



Libellus elegãtissimus, qui inscribitur

MVS,QVI INSCRIBITVR
Cato de præceptis vitæ communis.

CV'M animaduerterem quãplurimos homines errare grauiter in via morum, succurrẽdum & consulendum opinioni eorum fore existimaui: maximè vt gloriosè viuerẽt, & honorem contingerent. Nunc te fili charissime docebo, quo pacto mores animi tui componas. Igitur mea præcepta ita legito, vt intelligas: Legere enim, & non intelligere, negligere est.

Itaque Deo supplica.
Parentes ama.
Cognatos cole.
Magistrum metue.
Datum serua.
Foro te para.
Cum bonis ambula.
Antequam vocêris, ad consilium ne accésseris.
Mundus esto.
Saluta libenter.
Maiori cede.
Minori parce.
Rem tuam custodi.

Verecundiam ſerua.
Diligentiam adhibe.
Libros lege:
Quos legeris memento.
Familiam cura.
Blandus eſto.
Iraſci ab re noli.
Neminem irriſeris: vel, Miſerum ne irriſeris.
Mutuum dato:
Cui des videto.
Iudicio adeſto.
Conuiuare raró.
Quod ſatis eſt dormi.
Iuſiurandum ſerua.
Vino te tempera.
Pugna pro patria.
Nil temerè credideris.
Tu te conſule: aut,
Tutò conſule.
Meretricem fuge.
Literas diſce.
Nil mentiri debes.
Bonis benefacito.
Maledicus ne eſto.
Exiſtimationem retine.
Æquum iudica.
Parentes patientia vince.
Beneficij accepti memor eſtò.

Ad prætorium ſtato.
Conſultus eſto.
Vtere virtute.
Iracundiam tempera.
Trocho lude.
Aleas fuge.
Nihil ex arbitrio virium feceris.
Minorem te ne contempſeris.
Aliena concupiſcere noli.
Coniugem ama.
Liberos érudi.
Pátere legem quam ipſe tuleris.
Pauca in conuiuio lóquere.
Illud ſtude quod iuſtum eſt.
Libenter ferto amorem.

SI Deus eſt animus, nobis vt carmina dicunt:
Hic tibi præcipuè ſit pura mente colendus.

Plus vigila ſemper, nec ſomno deditus eſto:
Nam diuturna quies vitiis alimenta miniſtrat.

Virtutem primã eſſe puta, compeſcere linguam:
Proximus ille Deo, qui ſcit ratione tacere.

Sperne repugnando, tibi tu contrarius eſſe.
Conueniet nulli, qui ſecum diſſidet ipſe.

Si vitam inſpicias hominum,ſi denique mores,
Quum culpes alios,nemo ſine crimine viuit.

Quę nocitura tenes,quãuis ſint chara,relinque.
Vtilitas opibus præponi tempore debet.

Conſtans & lenis,ſicut res poſtulat,eſto:
Temporibus mores ſapiens ſine crimine mutat.

Nil temerè vxori de ſeruis crede querenti:
Sæpe etenim mulier,quem coniunx diligit,odit:

Quúmq; mones aliquẽ, nec ſe velit ipſe moneri:
Si tibi ſit charus,noli deſiſtere cœptis.

Contra verboſos noli contendere verbis.
Sermo datur cunctis,animi ſapientia paucis.

Dilige ſic alios,vt ſis tibi charus amicus.
Sic bonꝰ eſto bonis,ne te mala damna ſequantur.

Rumores fuge,ne incipias nouus author haberi:
Nam nulli tacuiſſe nocet :-nocet eſſe locutum.

Rem tibi promiſſam,certò promittere noli.
Rara fides,ideo quia multi multa loquuntur.

Quũ te aliquis laudat, iudex tuus eſſe memento:
Plus aliis de te,quàm tu tibi,credere noli.

Officium alterius multis narrare memento:
Atque aliis quum tu benefeceris,ipſe ſileto.

Multorum quum facta ſenex & dicta recenſes,
Fac tibi ſuccurrant,iuuenis quæ feceris ipſe.

Ne cures ſiquis tacito ſermone loquatur:
Conſcius ipſe ſibi,de ſe putat omnia dici.

Quum fueris felix,quæ ſunt aduerſa caueto:
Non eodem curſu reſpondent vltima primis.

Quum dubia & fragilis ſit nobis vita tributa,
In morte alterius ſpem tu tibi ponere noli.

Exiguum munus quum dat tibi pauper amicus,
Accipito placidè,& plenè laudare memento.

Infantem nudum quum te natura creârit,
Paupertatis onus patienter ferre memento.

Ne timeas illam, quæ vitæ eſt vltima finis:
Qui mortem metuit,quod viuit, perdit idipſum.

Si tibi pro meritis nemo respondet amicus:
Incusare Deum noli: sed te ipse coërce.

Ne tibi quid desit, quæsitis vtere parcé.
Vtque quod est serues, semper tibi deesse putato.

Quod præstare potes, ne bis promiseris vlli:
Ne sis ventosus, dum vis vrbanus haberi.

Qui simulat verbis, nec corde est fidus amicus:
Tu quoque fac simile: sic ars deluditur arte.

Noli homines blando nimiũ sermone probare.
Fistula dulce canit, volucrẽ dum decipit auceps.

Cùm tibi sunt nati, nec opes: tunc artibus illos
Instrue, quo possint inopem defendere vitam.

Quód vile est, carũ: quod carum est, vile putato.
Sic tibi nec cupidus, nec auarus nósceris vlli.

Quæ culpare soles, ea ne tu feceris ipse.
Turpe est doctori, quũ culpa redarguit ipsum.

Quod iustũ est petito, vel quod videatur honestũ:
Nam stultũ est petere id, quod possit iure negari.

Ignotum tibi tu noli præponere notis.
Cognita iudicio constant,incognita casu.

Quum dubia incertis verſetur vita periclis:
Pro lucro tibi pone diem,quicunque laboras.

Vincere quum poſſis,interdum cede ſodali:
Obſequio quoniam dulces retinentur amici.

Ne dubites,quũ magna petas,impendere parua:
His etenim rebus coniungit gratia charos.

Litẽ inferre caue,cum quo tibi gratia iuncta eſt.
Ira odium generat:concordia nutrit amorem.

Seruorũ ob culpam quũ te dolor vrget in iram,
Ipſe tibi moderare,tuis vt parcere poſſis.

Quem ſuperare potes,interdum vince ferendo:
Maxima enim morum ſemper patientia virtus.

Conſerua potius quæ ſunt iam parta labore.
Quũ labor in damno eſt,creſcit mortalis egeſtas.

Dapſilis interdum notis,& charus amicis:
Quum fueris felix,ſemper tibi proximus eſto.

TElluris si fortè velis cognoscere cultus,
Virgiliũ legito. quòd si mage nosse laboras

Herbarum vires, Macer tibi carmine dicet.
Si Romana cupis & ciuica noscere bella,

Lucanum quæras, qui Martis prælia dicet.
Siquid amare libet, vel discere amare legendo,

Nasonem petito. sin autem cura tibi hæc est,
Vt sapiens viuas, audi, quò discere possis,

Per quæ semotum vitiis traducitur æuum.
Ergo ades: & quæ sit sapientia, disce legendo.

Si potes, ignotis etiam prodesse memento:
Vtilius regno est, meritis acquirere amicos.

Mitte arcana Dei, cælúmque inquirere quid sit:
Quum sis mortalis, quæ sunt mortalia, cura.

Linque metũ lethi: nã stultũ est tẽpore in omni,
Dum mortem metuis, amittere gaudia vitæ.

Iratus de re incerta contendere noli:
Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

Fac ſumptum properè,quum res deſiderat ipſa:
Dãdũ etenĩ eſt aliquid,quũ tẽp⁹ poſtulat, aut res.

Quod nimiũ eſt fugito,paruo gaudere memẽto:
Tuta magè eſt puppis,modico quę flumine fertur

Quod pudeat, ſocios prudens celare memento:
Ne plures culpent id,quod tibi diſplicet vni.

Nolo putes prauos homines peccata lucrari:
Temporibus peccata latent,& tempore parent.

Corporis exigui vires contemnere noli:
Conſilio pollet cui vim natura negauit.

Quem ſcieris non eſſe parem tibi,tempore cede:
Victorem à victo ſuperari ſæpe videmus.

Aduerſus notum noli contendere verbis:
Lis minimis verbis interdum maxima creſcit.

Quid Deus intendat,noli perquirere ſorte:
Quid ſtatuat de te,ſine te deliberat ipſe.

Inuidiam nimio cultu vitare memento:
Quæ ſi non lædit,tamẽ hanc ſufferre moleſtũ eſt.

Esto animo forti, quum sis damnatus iniqué.
Nemo diu gaudet, qui iudice vincit iniquo.

Litis præteritæ noli maledicta referre.
Post inimicitias iram meminisse, malorum est.

Nec te collaudes, nec te culpaueris ipse:
Hoc, faciunt stulti: id, quos gloria vexat inanis.

Vtere quæsitis modicè, quum sumptus abundat.
Labitur exiguo quod partum est tempore lõgo.

Insipiens esto, quum tempus postulat aut res.
Stultitiam simulare loco, prudentia summa est.

Luxuriam fugito: simul & vitare memento
Crimen auaritiæ: nam sunt contraria famæ.

Noli tu quædam referenti credere semper.
Exigua iis tribuenda fides, qui multa loquuntur.

Quod potu peccas, ignoscere tu tibi noli:
Nam nullum crimen vini est, sed culpa bibentis.

Consilium arcanum tacito committe sodali.
Corporis auxilium medico committe fideli.

Noli ſucceſſus indignos ferre moleſté.
Indulget fortuna malis,vt lædere poſſit.

Proſpice qui veniunt,hos caſus eſſe ferendos:
Nam leuius lædit,quicquid præuidimus anté.

Rebus in aduerſis animum ſummittere noli.
Spē retine:ſpes vna hominē nec morte relinquit.

Rem tibi quam noſces aptam,dimittere noli.
Fronte capillata eſt,ſed pòſt occaſio calua.

Quod ſeq̃tur,ſpecta:quódq; īminet,antè videto:
Illum imitare deum,qui partem ſpectat vtrãque.

Fortius vt valeas,interdum parcior eſto.
Pauca voluptati debentur,plura ſaluti.

Iudicium populi nunquam contempſeris vnus:
Ne nulli placeas,dum vis contemnere multos.

Sit tibi præcipuè,quod primum eſt,cura ſalutis.
Tempora ne culpes,quum ſis tibi cauſa doloris.

Somnia ne cures:nā mens humana quod optat,
Dum vigilat ſperans,per ſomnū cernit idipſum.

HOc quicũq; cupis carmẽ cognoſcere lector,
Hæc præcepta feres, quę sũt gratiſſima vitę.

Inſtrue præceptis animum, nec diſcere ceſſes:
Nam ſine doctrina, vita eſt quaſi mortis imago.

Commoda multa feres: ſin autem ſpreueris illud,
Non me ſcriptorem, ſed te neglexeris ipſe.

Quum rectè viues, ne cures verba malorum:
Arbitrii noſtri non eſt, quid quiſque loquatur.

Productus teſtis, ſaluo tamen antè pudore,
Quantumcunque potes, celato crimen amici.

Sermones blandos blæſóſque cauere memento:
Simplicitas veri ſana eſt: fraus ficta loquendi.

Segnitiem fugito, quæ vitæ ignauia fertur.
Nã quũ animus languet, cõſumit inertia corpus.

Interpone tuis interdum gaudia curis:
Vt poſſis animo quemvis ſufferre laborem.

Alterius dictum aut factũ ne carpſeris vnquam:
Exemplo ſimili ne te derideat alter.

Quæ tibi ſors dederit,tabulis ſuprema notato;
Augendo ſerua:ne ſis quem fama loquatur.

Quum tibi diuitiæ ſuperant in fine ſenectæ,
Munificus facito viuas,non parcus amicis.

Vtile conſilium dominus ne deſpice ſerui.
Nullius ſenſum,ſi prodeſt,tempſeris vnquam.

Rebus & in cenſu ſi non eſt quod fuit antè,
Fac viuas contentus eo quod tempora præbent.

Vxorem fuge ne ducas ſub nomine dotis:
Nec retinere velis,ſi cœperit eſſe moleſta.

Multorum diſce exemplo,quæ facta ſequaris,
Quæ fugias: vita eſt nobis aliena magiſtra.

Quod potes,id tentes: operis ne pōdere preſſus
Succumbat labor,& fruſtrà tentata relinquas.

Quod noſti haud rectè factum,nolito ſilere:
Ne videare malos imitari velle tacendo.

Iudicis auxilium ſub iniqua lege rogato:
Ipſæ etiam leges cupiunt vt iure regantur.

Quod meritò pateris, patienter ferre memento:
Quúmque reus tibi sis, ipsum te iudice damna.

Multa legas facito: perlectis perlege multa.
Nam miranda canunt, sed non credenda poëtæ.

Inter conuiuas fac sis sermone modestus:
Ne dicare loquax, dum vis vrbanus haberi.

Coniugis iratæ nolito verba timere:
Nā lachrymis struit insidias, dū fœmina plorat.

Vtere quæsitis, sed ne videaris abuti.
Qui sua consumūt, quum deest, aliena sequūtur.

Fac tibi proponas mortem non esse timendam:
Quæ bona si non est, finis tamen illa malorū est.

Vxoris linguam, si frugi est, ferre memento.
Nāque malum est nil velle pati, nec posse tacere.

Dilige non ægra charos pietate parentes:
Nec matrē offendas, dum vis bonus esse parenti.

SEcuram quicunque cupis traducere vitam;
Nec vitiis hærere animũ,quæ morib⁹ obſunt:

Hæc præcepta tibi ſemper relegenda memento:
Inuenies aliquid,quo te nitare magiſtro.

Deſpice diuitias,ſi vis animo eſſe beatus:
Quas qui ſuſpiciunt,mendicant ſemper auari.

Commoda naturæ nullo tibi tempore deerunt,
Si contentus eo fueris,quod poſtulat vſus.

Quum ſis incautus,nec rem ratione gubernes,
Noli fortunam,quæ non eſt,dicere cæcam.

Dilige denarium : ſed parcè dilige formam:
Quã nemo ſanctus, nec honeſtus captat habere.

Quum fueris locuples, corpus curare memento:
Æger diues habet nummos,ſe non habet ipſum.

Verbera quum tuleris diſcens aliquãdo magiſtri:
Fer patris imperium,quum verbis exit in iram.

Res age quæ proſunt : rurſus vitare memento
In quibus error ineſt,nec ſpes eſt certa laboris.

Quod donare potes,gratis concede roganti:
Nam rectè fecisse bonis,in parte lucrosum est.

Quod tibi suspectũ est,confestim discute quid sit:
Nãque solent,primò quæ sunt neglecta,nocere.

Quum te detineat Veneris damnosa voluptas,
Indulgere gulæ noli,quæ ventris amica est.

Quum tibi proponas animalia cuncta timere:
Vnum hominẽ tibi prçcipio plus esse timendum.

Quum tibi prævalidæ fuerint in corpore vires,
Fac sapias: sic tu poteris vir fortis haberi.

Auxilium à notis petito,si fortè laboras:
Nec quisquã melior medic⁹, quàm fidus amicus.

Quum sis ipse nocẽs: moritur cur victima pro te?
Stultitia est morte alterius sperare salutem.

Quum tibi vel socium,vel fidum quçris amicum:
Non tibi fortuna est hominis,sed vita petenda.

Vtere quæsitis opibus: fuge nomen auari:
Quid tibi diuitiæ prosunt,si pauper abundas?

Si famam feruare cupis, dum viuis, honeftam,
Fac fugias animo quæ funt mala gaudia vitæ.

Quum fapias animo, noli irridere fenectam:
Nam quicunque fenet, fenfus puerilis in illo eft.

Difce aliquid: nam quum fubitò fortuna recedit,
Ars remanet, vitámq; hominis nõ deferit vnquã.

Profpicito tecum tacitus, quid quifque loquatur:
Sermo hominũ mores & celat & indicat idem.

Exerce ftudium, quanuis perceperis artem.
Vt cura ingenium, fic & manus adiuuat vfum.

Multùm venturi ne cures tempora fati:
Non mortem metuit, qui fcit cõtemnere vitam.

Difce, fed à doctis: indoctos ipfe doceto:
Propaganda etenim rerum doctrina bonarum.

Hoc bibe quod poffis, fi tu vis viuere fanus:
Morbi nãque mali caufa eft quãdoque voluptas.

Laudaris quodcũque palàm, quodcũq; probaris,
Hoc vide ne rurfus leuitatis crimine damnes.

Tranquillis rebus, quæ ſunt aduerſa caueto:
Rurſus in aduerſis, melius ſperare memento.

Diſcere ne ceſſes: cura ſapientia creſcit:
Rara datur longo prudentia temporis vſu.

Parcè laudato: nam quem tu ſæpe probaris,
Vna dies, qualis fuerit, monſtrabit, amicus.

Ne pudeat, quæ neſcieris, te velle doceri:
Scire aliquid laus eſt, pudor eſt nil diſcere velle.

Cum Venere & Baccho lis eſt, & iũcta voluptas:
Quod lautũ eſt, animo cõplectere: ſed fuge lites.

Demiſſos animo ac tacitos vitare memento:
Quà flumen placidũ eſt, forſan latet altius vnda.

Quum tibi diſpliceat rerum fortuna tuarum,
Alterius ſpecta, quo ſis diſcrimine peior.

Quod potes id tenta: nam littus carpere remis
Tutius eſt multò, quàm velum tendere in altum.

Contra hominem iuſtum noli contẽdere prauè:
Semper enim Deus iniuſtas vlciſcitur iras.

Ereptis opibus noli mœrere dolendo:
Sed gaude potius,tibi si contingat habere.

Est iactura grauis,quæ sunt,amittere damnis:
Sunt quædā quæ ferre decet patienter amicum.

Tempora longa tibi noli promittere vitæ.
Quocūq; ingrederis sequitur mors,corp⁹ vt vmbra.

Thure Deum placa : vitulum sine,crescat aratro:
Nec credas placare Deum,dum cæde litatur.

Cede locum læsus fortunæ,cede potenti:
Lædere qui potuit,prodesse aliquando valebit.

Quum quid peccaris,castiga te ipse subinde:
Vulnera dum sanas,dolor est medicina doloris.

Damnaris nunquā post lōgum tempus amicum:
Mutauit mores,sed pignora prima memento.

Gratior officiis quò sis,mage charior esto:
Ne nomen subeas quod dicitur officiperdā.

Suspectus caueas,ne sis miser omnibus horis:
Nam timidis & suspectis aptissima mors est.

Quum seruos fueris proprios mercatus in vsus,
Et famulos dicas: homines tamen esse meméto.

Quamprimum rapienda tibi est occasio prima:
Ne rursus quæras, quæ iam neglexeris anté.

Morte repentina noli gaudere malorum:
Felices obeunt, quorum sine crimine vita est.

Quum tibi sit coniunx, nec res: & fama laboret:
Vitandum ducas inimicum nomen amici.

Quum tibi contigerit studio cognoscere multa:
Fac discas multa, & vites nil velle doceri.

Miraris verbis nudis me scribere versus?
Hos breuitas sensus fecit coniungere binos.

EXCVDEBAT ROBERTVS STEPHANVS, LVTETIAE, ANNO M. D. LVIII. VI. NON. MAII.